

<p>PALAE MON</p> <p>Dicite, quandoquidem in molli consedimus herba Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos, Nunc frondent silvae, nunc formosissimus annus. Incipe, Ovidi ; tu deinde sequere, Tibulle ; Tu deinde sequere Virgili. Alternes dicetis ; amant alterna Camenae.</p> <p>OVIDIUS</p> <p>Aurea prima sata est aetas.</p> <p>TIBULLUS</p> <p>Quam bene Saturno vivebant rege, priusquam Tellus in longas est patefacta vias !</p> <p>OVIDIUS</p> <p>Nondum caesa suis, peregrinum ut viseret orbem, Montibus in liquidas pinus descenderat undas, Nullaque mortales praeter sua litora norant.</p> <p>TIBULLUS</p> <p>Nondum caeruleas pinus contempserat undas, Effusum ventis praebueratque sinum.</p> <p>VIRGILIUS</p> <p>Cedet et ipse mari vector, nec nautica pinus Mutabit merces.</p> <p>TIBULLUS</p> <p>Nec vagus ignotis repetens compendia terris Presserat externa navita merce ratem.</p> <p>VIRGILIUS</p> <p>Non rastros patietur humus, non vinea falcem.</p> <p>OVIDIUS</p> <p>Ipsa quoque immunis rastroque intacta nec ullis Saucia vomeribus per se dabat omnia tellus.</p> <p>VIRGILIUS</p> <p>Ipsaque tellus Omnia liberius, nullo poscente, ferebat.</p> <p>OVIDIUS</p> <p>Mox etiam fruges tellus inarata ferebat, Nec renovatus ager gravidis canebat aristis.</p> <p>VIRGILIUS</p> <p>Molli paulatim flavesbet campus arista.</p> <p>TIBULLUS</p> <p>Ipsae mella dabant quercus.</p> <p>OVIDIUS</p> <p>Flavaque de viridi stillabant ilice mella.</p>	<p>VIRGILIUS</p> <p>Durae quercus sudabunt roscida mella.</p> <p>TIBULLUS</p> <p>Ultroque ferebant Obvia securis ubera lactis oves.</p> <p>VIRGILIUS</p> <p>Ipsae lacte domum referent distenta capellae Ubera.</p> <p>TIBULLUS</p> <p>Illo non validus subiit juga tempore taurus.</p> <p>VIRGILIUS</p> <p>Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.</p> <p>TIBULLUS</p> <p>Non fixus in agris Qui regeret certis finibus arva, lapis.</p> <p>VIRGILIUS</p> <p>Ne signare quidem aut partiri limite campum Fas erat.</p> <p>TIBULLUS</p> <p>Non acies, non ira fuit, non bella, nec ensem Immiti saevus duxerat arte faber.</p> <p>OVIDIUS</p> <p>Non tuba directi, non acies cornua flexi, Non galeae, non ensis erat : sine militis usu Mollia securae peragebant otia gentes.</p> <p>TIBULLUS</p> <p>Nunc Jove sub domino caedes et vulnera semper, Nunc mare, nunc leti mille repente viae.</p> <p>VIRGILIUS</p> <p>Alter erit tum Tiphys, et altera quae vehat Argo Delectos heroas ; erunt etiam altera bella, Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.</p> <p>PALAE MON</p> <p>Non nostrum inter vos tantas componere lites : Et vitula tu dignus et hic et hic et quisquis Auream aetatem, Saturno rege, canet. Claudite jam rivos, pueri ; sat prata bibunt.</p> <p>Tibulle, <i>Elégies</i>, I, 3, v 35-50 Virgile, <i>Bucoliques</i>, 3, v 55-59 et v 108-111 Virgile, <i>Bucoliques</i>, 4, v 18-45 Virgile, <i>Géorgiques</i>, I, v 125-142 Ovide, <i>Les Métamorphoses</i>, I, v 89-112 Modifications nécessaires en gras</p>
---	--

